Num.	Argumenta.	Lapill. voc.	Possessores.	Monum. Scriptor.
	Nihil enim est, quod cum hoc comparare possis: adeo pulchrum illud natiuum, quod omni arti imitatione exprimendum propositum est, summa omnium partium et iustissima proportio, ac mollissima membrorum lineis extremis descriptio, nulla verborum copia explicari potest; sentiri tantum potest. Non itaque reprehendendus Winkelmannus, vir exquisiti sensus, qui in descript. Musei Stosch. paullo copiosior in enarranda hac gemma est: nemo enim, qui τῦ καλῦ non obtusum sensum habet, satiari facile adspectu potest.			
143	Idem, stans, dextra cantharum, laeua thyrsum gestans; adstat tigris.	Sarda	Comes a Wackerbart.	
144	CERES et BACCHVS; Romani artificii, nec ab indocta manu.	Sarda		
145	BACCHVS *triumphator*, in curru excelsus, ariete et leone iunctis, quos freno regit. Satyrus tubam inflans currum antegreditur. Ad caput Bacchi Iouis astrum lucet. Perpulchrum opus.	Sarda	In Galliis vsquam.	
146	*Tropaea Bacchi ab Indis reducis.* Victoria cum Fauno tropaeum statuit, cui amor retortis manibus alligatus est. Alius Faunus ex aduerso, meditabundi specie in colliculo sedet. Eximiae artis et venustatis opus, cuius pastam possideo, nesciens, vnde expressam.			
147	*Triumphus* BACCHI et ARIADNES. Dorschii manum probe agnosco. Gemma ipsa mirae est pulchritudinis.	Chrysopras.	a Schmidt, a Consil. aul. R.P.El.Sax.	